



**Historica descriptio susceptae a Caesarea Majestate
executionis contra S. Rom. Imperii rebelles, eorumque
receptatorem: & captae urbis, Gothae, soloque aequati castri
Grimmenstein, Anno Domini MDLXVII XIII Aprilis**

<https://hdl.handle.net/1874/9347>

HISTORICA

DESCRIPTIO SVSCE-

PTAB A' CAESAREA MAIE-

state executionis contra S. Rom. Impe-
rij rebelles, eorumque Receptatorem: *Io. ferd. v.*

& captæ urbis Gothæ, solisque æ-
quati castri Grimmenstein, An-

no Domini M. D. LXVII.

xiii. Aprilis.

Io. ferd. v. regnus eiusque Jo. malchelos summis

ANNO M.D.LXVIII.

Mense Augusto.

• 4. 199.



CANDIDO LECTORI



*A fuit fere semper rerum humana-
rum infelicitas, vt in inuidia & vulgi
reprehensionem inciderint ij, qui se cor-
ruptis sui seculi moribus opposuerunt,
aut conates turbare Rempub. repre-
serunt. Vulgus enim non inquirit causas eorum quæ ge-
runtur, sed iudicat pro suis affectibus, & semper putat
imbecilliori à potentiori fieri iniuriam. Eiusmodi inui-
dia aculeos, si vlli vnquam, certe iam sentiunt ij, qui su-
periore anno iuxta decretum factum ab ordinibus Im-
perij in conuentu Augustano, Grumbachianam factio-
nem armis oppresserunt. Eius enim reliquiae nullum nō
genus calumniæ comminiscuntur, quo istorum nomen
& existimationem lèdant, ac eos in odium & inuidia
adducant, non solum apud Germanos, sed etiam
apud exteræ nationes, & præsertim apud Gallos. To-
tam autem sui odij vim in illustrissimum Saxoniae Ele-
ctorem Augustum euomunt: nec sane fuit hactenus ina-
nis ipsorum labor. nam plurimis in Germania & Gal-
lia persuaserunt, ipsum studio tantum deprimenda nobilitatis Germanica (quam iam satis dura seruitute
premi aiunt) Gothanam expeditionem suscepisse. Ad-
dunt & aliud calumniæ genus, nimirum, ipsum facta
conspiratione cum Pontificijs principibus, cogitare de
extirpanda vera religione: cuius rei vt faceret initium,*

præcipios eius propugnatores oppresserit. Imò èo impudentiae sunt progressi, vt persuaserint multis, ipsum iam apud se habere istud recens exortum genus impostorū, quos Iesuitas vulgo nominant. In quibus calumnis adstruendis & serendis Grumbachiana factio egregia operam nauat. Sicui notæ sunt res Germaniæ, is facile intelligit, solius ordinis equestris seu nobilitatis (vt vocat) opes & facultates nostro tempore auctas esse, reliquorū verò ordinū aut imminutas, aut labefactatas. Principes experiuntur eas difficultates in gubernatione ob turbulentorum hominū molitiones, vt nihil ipsi satis sit. Comitum fortunis quotidie multum decidere nemo ignorat. Urbes Imperij præter paucas, videntur tantū esse cada uera earū urbium quæ repub. melius constituta floruerunt. Agricola verò ubiq, sub grauiſſimis oneribus gemitunt. Quare ipsius ordinis equestris maxime interest, ut hæc reipub. forma conseruetur: cum ex ea plura emolumenta sentiat: quam ordines reliqui omnes. Videant igitur i, quorū res sunt adhuc integræ, ne immoderata libertatis amor eos decipiatur: & caueant ne nimis faciles aures præbeant incitationibus eorum, qui sua per luxū & superbiam prodegerunt, quos non est mirum cupere turbari rempub. Iam autem consideremus quales veræ religionis propugnatores isti fuerint. Cum ante sex annos in Gallia exortū esset bellum ambitione quorundam procerum, qui renascentis Euangelijs splendorem ferre non poterant, & initio belli dissipata esset fama per Germaniam,

niam, longe esse maiores vires principis Condei, quam ad
uersariorū eius: Grumbachius & socij nihil non fecerūt,
quo possent persuadere Condensibus, ut ipsorū opera in
conscriptibendo milite vterentur. Et vt ostenderent se optimè
erga ipsos esse affectos, mandarunt ijs, qui annua ip-
forum stipedia in aula Gallica soliti erant exigere, ut in
ea re vteretur opera principis Condei, nō autē Guisij du-
cis, cuius tamen beneficio ea erant consecuti. Nam tunc
preferebant se nolle habere quicquā commune cū ijs,
qui veræ religioni aduersarentur. Ubi autē animaduer-
terunt isti boni viri minus esse prædæ apud Condenses
quam ipsi sperauerāt, deposita religionis larua, quā in-
duerant, dederunt opera vt Guisio reconciliarentur, cui
sub finem belli petenti ut equite conscriberent aduersus
Condenses, sunt cupide obsequuti. Sed inopinata & ipsis
minimè opportuna Guisij mors, rationes ipsorū tūc per-
turbauit. Post Uurceburgensis vrbis direptionē, & præ-
sertim postquā in conuentu Augustano decreto omniū
ordinum Imperij sunt proscripti, incerti quo se verteret,
conati sunt persuadere ijs, qui repurgatam religione in
Gallia profitebantur (quos sciebant in perpetua solicitu-
dine vivere) se, siquid pecunia sibi ab ipsis subministra-
retur, ita res Ecclesiasticorū in Germania perturbatu-
ros, ut posthac Pontificij in Germania & Gallia cogita-
turi potius essent de se defendendis, quam de alijs oppri-
mendis. Sed Galli responderunt, sua maximè interese,
ut maneret pacata Germania, quo possent inde habere

auxiliares copias, quandocumq; necessitas exigeret. Hu-
ius factio[n]is reliqua superiori autumno se in Gallia re-
ceperunt, & cum exoriretur infelix istud bellū, quo ad-
huc misere ardet Gallia, pro suo more vtriq; parti suam
operam detulerunt. Quidam ex ijs, qui Regi aderant,
persuasi fore maximū concursum nobilitatis ad istos,
statim vbi Germaniae fines attingeret, hortati sunt Re-
gem, vt ipsorum opera vteretur: cuius rei cū facta ipsis
spes e[st]et, contulerunt se in Metensem vrbe, sperantes se
ibi accepturos pecunia ad conscribendum milite: verū
Rex à peritioribus rerum Germanicarum de ijs rectius
edoctus, paulo p[ro]st nudauit sententiam. Ubi animaduer-
terunt se vbiq; spē excidiſe, præcipui inter ipsos præcla-
rum, & sua pietate dignū facinus sunt aggressi. Ut enim
gratificarentur Pontificis, à quibus recens ea iniuria,
vel potius contumelia erat affecti, clam ad illustrissimū
principem Ioannē Casimirū Palatinū accesserunt, sua-
dentes vt desertis ijs qui in Gallia propter Religione peri-
clitabantur, copijs quas in procinctu habebat, ad turbā-
dam Germaniam vteretur. Sed generoso principis ani-
mo de suorū morum scabie nihil adfricare potuerunt.
Siquis ad h[oc] addat præstigias magicas, quibus antea
sunt v[er]si, habebit Religione & pietate, ob quam in eas ca-
lamitates sunt mersi, in quibus iam h[ab]erent. Nunc videa-
mus an Elector Saxonie Augustus à Religione defece-
rit? Nemo bonus negabit, scholam Uuitebergensem, esse
tanquā fonte perennem, ex quo ora sua rigarunt, & suæ
virtutis

virtutis fundamenta hauserūt pleriq^z ex ijs, qui in Germania & vicinis gentibus cū laude præsunt Ecclesias, & in Reip. administratione versantur: eā felicibus auspiciis institutā à sapientissimo principe Friderico Electore, sua liberalitate ornarūt & auxerūt Ioānes, Ioānes Fridericus, & Mauritus Saxoniae Electores. Verū maiora beneficia solus in eā contulit is, qui iā rerū potitur, quām isti omnes simul. Præterea recens instituit plures Scholas in varijs locis suæ ditionis, in quibus magnū numerū puerorū sua pecunia alit: & curat in Religione & literis diligenter institui, vt sint tanquā seminariū ad verā religionē & pietatē propagandā. Pauci sunt in ipsius ditione docti Theologi, aut professores bonarū artiū, qui non eximiā ipsius erga se liberalitatē sint experti. Hæc facere & cōpescere quosdā turbantes Ecclesias bene cōstitutas, est illa defectio à Religione, quam improbi isti homines putidis suis calumnijs exagitant. Quāuis iſtorū malorū in quaē incidit, sibi author extiterit Dux Ioan. Fridericus: multi tamē dolent vicē eius propter dignitatē familiæ, & memoria virtutis maiorū ipsius, quorū est illud maximē glorioſum facinus, quod primi omniū ausi sunt caput ingentib. periculis obycere, vt veræ Religionis aduersus tyrannidē Pontificiā patrocinarenur. Sed (vt ait Poeta) Si te præcipite rapit ambitus, &c. Incipit ipsorū cōtra te stare parentū Nobilitas, claramq^z face præferre pudēdis. Paucis annis post mortē parentis, quēdā flocci pē dēdū ad se vocauit, vt per ipsum Ecclesias Electoris Au-

gūsti exagitaret & turbaret. quod est ita petulāter factū ab illo & eius sodalibus ac sectatoribus, vt multi mirarē tur Electorē Augustū ista ferre, cū viderent eius & aquanimitate istorū ferociā & petulantia augeri. Sed quādiu licuit, maluit suas iniurias publicae tranquillitati condonare. Cū autē euentus nō responderet magnis illis speb. quas floccipendendus iste fecerat de turbāda repub. & præsertim ditione Electoris Augusti: venit in cōtemptū apud Duce Ioannē Fridericū, à quo tandem cū ignominia pulsus est ex Thuringia. Cum enim (vt solitus erat quidā dicere) ageret de regione potius quam de religione, prætulit Dux Ioannes Fridericus Grūbachij consilia, quæ ipsū tandem in istas calamitates præcipitarūt. Quoniam autē mendacia quæ vulgo sparguntur de causis belli, quod superiore anno ad Gothā gestū est, præbēt occasiōne calūnij aduersus Electorē Augustū, existimauī vnicā esse rationē occurrēdi eiusmodi calumnijs, & discutiendi nebula, quā isti suis præstigij & mēdacijs plurimis offuderūt, si in luce edere narrationē de causis & successu eius belli, quā ex publicis monumentis bona fide & grauiter descripā, quidā amici ad me miserūt. Si quis ad eius lectiōnē adferet animū nō occupatū præiudicijs aut affectibus, spero apud ipsū posthac nō fore locū calumnijs. Non deerūt fortè, qui dicāt, satius fuisse domesticorū horū vulnērū memoriam obliuione sepeliri, quam ea in luce proferri. Audiant isti Tacitum dicentem, præcipuum munus scriptoris esse, ne virtutes fileantur, vt que prauis dictis factisque ex posteritate & infamia metus sit, &c.

DE BELLO GOTHICO



N N O Salutis nostræ Millesimo
Quingentesimo septimo & saxage-
simo, Germania bellum habuit, sus-
ceptum decreto, & gestum sumpti-
bus communibus omnium ordinum Imperij,
aduersus Grumbachianę coniurationis Duceſ, ac horum Receptatores, Duce Illustrissimo
principe Electore Saxonie Augusto. Huic
enim sententię in proscriptos promulgatae exe-
cutio, ac tota belli summa ab Imperatore ac ce-
teris ordinibus uno consensu demandata fuit.
Causæ belli & occasioſes ſic ſe habent: Guilhel-
mus Grumbachiū ex nobili quidem Stirpe
in Orientali Francia natus, ſed à uera genero-
ſi animi nobilitate alienus, & factioſis consilijs
ac molitionibus à prima ætate magis, quam
uirtutum ſtudijſ deditus, atque ab his celebris
Vasallus erat Antiftitum Vuijrcburgensium:
Sed ab his ad Albertum Marchionem Bran-
deburgensem ſeſe contulit. Cui adolescenti
incitato aduersus patruum optimum princi-
pem Georgium Marchionem, consilioſum
minime felicium aut ſalutarium autorem & ad
pessimā quæque, atque ipſi tandem, & familiæ
pernicioſa, magistrum & incitatorem ſeſe pre-
buit. Aliquanto post eundem sumptibus im-
penſis in bella C A R O L I V, Imperatoris &

D E B E L L O

iam modicis alijs profusionibus exhaustū, ac ægestate per se ē in hiantem uicinorum Antistitum terris & opibus, cum ad bellum illis inferendum impelleret, idque iam motum, ut Architectus arcanorum consiliorum præcipuuſ, magno studio & artibus ac technis mirabilibus instrueret, ac foueret, Vuijrcburgēſis Feudum illi ademīt, quo tamen semetipſum spoliauit uiolatione fidei ac iuris iurandi erga Dominum Feudi. Hac de re Marchione Alberto tandem omni ſua ditione exuto, & in exilio mortuo, Antistiti Melchiori ē gente Zobela lītē ille audacter mouet, & tanquā nil meritus tale, nec ullius culpæ reus, conatur euincere, ſibi huius quicquid feciſſet, id facere licuisse integro & incolumi iuramento: propterea, quod quamprimum offenſio nata inter Antistitem Francicū & Marchionem Albertum, in diſſidium primū, mox in bellum erupiſſet, ex pacto inter hos conueniſſet, Vasallis utrinque militantibus fraudi non fore, ſi pro ihs, quibus ſeruirent Dominis, arma ferret contra feudi dominos. Quod ipſum tamen per ſe quidem uero minimè conſentaneū, nullis deinceps documentis comprobare Grumbachius potuit. Re igitur aliter cōperta, cum non statim, nec ita ut uellet, ſua recipere, Antistitem per ſubornatos ſicarios ex urbe

Vuijrcburgo.

Vuijrcelburgo in arcē per Mæni pontē ascēsum, aliquot sclopetorū iictibus insidiose interficit. Sicarij euadunt, nec tunc agniti sunt, quod parricidium uelatis faciebus perpetrassent. Nō longo tamen temporis interuallo post, in Lötaringia capitulū ex Sicarijs unus Christophorus Crecerus, qui seu metu Grūbachij, cui multos annos seruuerat, seu ex occultis alijs obligationibus erga Grumbachium : seu tribuens hoc beneficijs ab eo acceptis, se autorem parricidij professus, cū in itinere frequentibus suspīrijs ac gemitibus dominū accusasset, uitā sibi ipsi noctu laqueo finiuit. Quod, ut existimatū fuit tormentorū cruciatus reformidaret ac supplicium: uel quod anteuertere abrupta uita cuperet quæstiones in Domīnum, ad quas seruari aeduci se non ignorabat.

Succedit Zobelo alius ex Vuirzburgiorū familia : huic litem renouat Grumbachius. Res agitur uelitationibus scriptiōnū. Antistites ex archiuis belli tempore interceptis proferunt ac detegunt artes & machinationes Grumbachij. His, et si Apologias opponit, refertas non tam refutationibus eorum quæ obīciebantur, quā anticategorij: tamen ut erat vir ingenio astuto ac uafro, timidoq; & crudeli, his non confidens, sed alijs præsidij opus fore cernens, ani-

DE B E L L O

mos Nobilitatis Germanicę occupat, querelis atrociis ac speciosè ad fallendos imperitos exaggeratis de iniuria, qua per uim innocēs ipse afficiatur ab Antistite Vvīrcebūrgēsī, à quo excluderetur autis possessionibus, nullo suo merito, ut p̄ḡ se ferebat, per fas nefasq; Contra hanc si Antistitis Tyrannidem nō defendatur, ostenditur exemplū nocitū Nobilitati universae. Impune enim deinceps principes ausu- roesse quæuis in subiectos ipsi homines. No- biles, quocunq; iuris prætextu, & hos in turpē seruitutem redactos, ceu mancipia rustica op- pressuros. Simul autem latebras quærerit ac rece- ptus, ubi tuto uersetur, cōflatācō occultere coniu- ratione minime contemnenda, sese & armat munitq; in præsens, & si foret opus, ad rem bel- lo etiam deinceps decernendam instruit. Ex or- dine equestri igitur, non exiguū sociorum nu- merū comparat. Inter hos fuere pleriq; qui Marchionem Albertū infœlicibus latrocinij Germaniam perustantem secuti, ea occasione in noticiam & familiaritatem Grumbachij per- uenerunt. Ac præcipui quidem Guilhelmus Steinius, eiusdē apud Antistitē Vvīrcebūrgē sem criminis reus. Ex eadē causa, Albertus Ro- seburgius, Ernestus Mandelslauius Saxo, Io- docus Lebicius, & plures alij.

Authoris

Sed

Sed quodd intelligeret nobilitatem solam nec auctoritate, nec viribus, nec opibus tantæ rei parem futuram, si potentiores principes aduersarentur: nec protinus omnes ex hoc ordine hæc consilia probaturos, atq; à suis principiis discessuros esse. Deniq; si quid à nonnullis non uniuersis moueretur, conatus seditionis specie esse habituros. Idcirco re deliberata dat operam, ut ad præsidium Nobilitatis adiungat patrocinium principum, gratia, auctoritate, affinitatibus potentum. Præfert autem cæteris Duces Saxonæ fratres, Ioannem Fridericum Secundū, & Ioannē Guilhelmū, Ioannis Friderici Electoris olim filios, tanq; proximos uincinos, & suo iudicio huic telæ, quā instituebat pertexendæ accommodatissimos. Eos enim ex collectis adeptisq; per parentem studijs hominum, norat gratia ualere apud promiscuā multitudinem, augente fauorem commiseratione ex memoria cladis perpessæ in bello Germanico, titulo defensæ Religionis. Apud hos ita fæsi insinuat, ut alterum natu maximum Ioannem Fridericū de suæ causæ bonitate persuasum, & maximis spebus impletum, gloriosoq; titulo Parentis, Patroni, Protectoris ac Vindicis Nobilitatis germanicæ infatuatū, facile sibi deuinixerit; Alterū Ioannē Guilhelmū, quāq; saepe ac

DE B E L L O

mirificè tentatū, circumuenire tamen atq; in su-
as pertrahere partes nequuerit. Qua eū de cau-
sa Grumbachius cū non posset non odisse ac
metuere, quū uicissim inflammaret fratrē odio
illius, & ad minitanda ei ac struenda extrema
omnia impelleret, continere se non potuit. Sed
Ioannē Fridericū, ut postea res docuit, constat
sua uoluntate deceptū esse, uel ijs potius spebus
delusum, quas ex promissis amplissimis Grum-
bachij conceperat immensas, fore scilicet, ut re-
bus motis restitueretur ipse in paternas & au-
tas hæreditates uniuersas, Electore Saxonie
Augusto, uel per sicarios sublato, uel si hac non
succederet per concitatam tota Germania suæ
causæ prætextu Nobilitatem, excusso.

Nactus igitur Grumbachius patronū, nō fa-
opibus quām improborū magna ex parte ho-
minum studijs potentem, nidumq; oportunū
ad quæuis facinora patranda, & fretus Nobilit-
atis erga se affectione ac promissis, quod scriptio-
nibus partis aduersæ ualde prægrauari sese ant-
maduerteret, ac uideret causæ suæ cognitionē
uel lentius idcirco processurā esse, uel tandem
exitū habiturā aliū, quā sperauerat, decurrit ad
alia consilia, suo more fraudi, si finē suū cōseque-
retur, uiolentiā miscēs. Semetipsū ergo suę cau-
sę iudicē facit, ac congregatis clam uiris astu se-
dicioſae

G O T H I C O

dicioſæ coniurationis ſocis círciter octingen-
tis, ſolo in loco ea in parte Orientalis Franciæ,
quā Eiſfeldiū nominant, ac Vvijrceburgū hoc ~~comitatu~~
commitu nocte, máxima festinatione accedit,
effractisq; ſub horā tertiam matutinam portis,
urbē nihil tale ſomniantē ingreditur: capit, di-
ripiit, extorquet Canonicis qui adfuerūt transa-
ctionē diu præmeditatā atq; quæſitā, imponit i-
iſdem cū iuramento ~~et punitas~~ perpetuā parricidij
perpetrati, adimēs omnē inquirēdi de authori-
bus potestatē: recipit ſua uniuersa, & promiſū
exprimit ſigrapha fancitū, de grandi pecunia
conſtitutis uicibus ſoluenda. Hoc peracto fa-
cinore, in nīdū reuolat ſuū. Imperator Ferdinā-
dus atrocitate facti grauiter offensus, mandat
ut in iudicio publico Cameræ, ob usurpatā ſe-
ditioso conatu in priuata cauſa incomptam
haec tenus uiolentiā, reuſ peragatur uiolatæ nō
tantū fidei erga dominū Feudi inſidōiſe círcū
uentū, ſed & pacis publicæ in Imperio contra-
leges, pefſimo ac pernicioſiſimo ad omnē po-
ſteritatē exemplo. Reū cognitū ac declaratū cō-
demnat & proſcribit, ſimulq; eos omnes, qui
hæc perpetrantē adiuuarunt. Non magnifi-
ūt proſcriptionē cōiurati, fiducia ſui receptus;
ſed factum excuſant, ita tamen ut non in uin-
dicta ſe peccaffe, ſed modū excessiſſe in uindi-

DE B E L L O

cando agnoscant, ac culpā hac in parte depre-
centur: Transactiones autē ui extortas, uelint
ratas esse ac firmas. Fouet, tuetur & excusat eos
multo magis ipse Ioannes Fridericus Saxonie
Dux, ac ne quid huius à se in contemptū Impe-
ratoriae Maiestatis quisq; fieri suspicetur, præ-
textum cōminiscitur minime probabilem, cur
refugia eis prebeat, Nimirū ut plura conaturos
reprimat atq; coherceat. Postulatur interea &
ab Electore Saxoniæ, ne Grumbachianę causę
deesse uelit: qui cum se parricidij & seditionis
latrocinij nunq; patrocinaturum ostenderet,
occisionē illis primam præbuit, odia iamolim
concepta, sed pressa ac dissimulata hactenus, ef-
fundendi. Nec petitū id fuit, quod tale aliquid
ab eo expectaretur, sed quod pr̄textus insidij
quæreretur. Sapiens Imperator quo hæc spe-
ctent, minime ignorans, perstat in sententia, &
indicto conuentu mandat principibus Imperij
Anno quarto & sexagesimo, ut Vvormatiæ
per legatos consultent, cum de alijs Imperij ne-
gotijs, tum uero & de pace publica maiore cu-
ra firmanda ac munienda. In eo conuentu decre-
tum sit, de alendo in Germania pr̄sidio equitū
mille quingentorū. Horū mille Duci Saxoniæ
Electorī Augusto, quingenti Duci Iuliacensi
attribuūtur, ea lege atq; conditione, ut sint ceu
custodes

G O T H I C O

custodes pacis publicæ in utraq; Germania, &
siquid commoueatur à Grumbachianæ con-
spirationis socijs, mox inter initia exorienti incen-
dio ut occurrat, idq; priusq; sese diffundat,
restinguat. Moritur interea Ferdinandus; suc-
cedit filius Maximilianus. Huic causam com-
mendat Vvijrceburgensis, flagitans executionē
publicatæ à parente sententiæ, in hostes suos ac
parricidas.

Ab eo tempore Grumbachiani nusq; satis
tuti Gottæ apud Ducem Saxoniæ Ioannem Fride-
ricum sese continent. Conueniunt ibidē crebrius
& quidem magno numero socj coniurationis.
Conferunt consilia, acuunt odia in Electorem
Saxoniæ multis incitationibus, tanquam is il-
le sit, qui solus obstat & prohibeat ne impetraret
Grubachius quæ postulat, neue quæ molitur-
ficiat; deniq; qui solus Nobilitati, eiusq; liberta-
ti aduersetur, & grauis sit atq; intollerabilis.
Nullo enim alio speciosiore cōmento Nobili-
tas decipi & his factionibus implicari poterat.
Nec talia occulte sparguntur, sed palam uagan-
tur per ora hominum; Inuitantur ad societatem
plures alij: conciliantur Principi Ioanni Fride-
rico, quicunq; rei bellicæ périti, & à clientelis
equitū ac peditū instructi habebātur; Condu-
citur horū opera magnis stipendijs: confluunt

DE BELLO

inter hos & alijs latrocinijs assueti ac dediti admittuntur: imo cupide excipiuntur, quib. propter q̄s alienū, perpetrata latrocinia, & similia scelerata, locus aut receptus sub Electore Saxonie nō cōceditur: infestatur inde & terræ Electoris Saxonie & uise publicæ latrocinijs, ab ijs, quos dulcedo prædæ Virceburgensis inescavit, & ex quidē maximē, que terras Electoris Saxonie attingunt. Ostēditur multis in reb. animusergahūc plane hostilis: molitiones tamē occultātur. Elector Saxonie cōtra dissimulatis initio iniurijs, ignarus etiā insidiarū, quib. uitā suā & iugulū peti deinceps cognouit, hortatur, orat, obtestatur, patruelē Ducē factionis sedicioſae cū satellitio uniueroso à se ut dimittat, & sibi ipſi, suisq; hac in re ut cōſulat: cōmemorat pericula, quæ p̄posita sint: reuocat in memoriā hereditaria Ducū Saxonie pacta, quib. diserte cautū sit, hostes publicos aut priuatos, & ab Imperio p̄scriptos à neutra parte hospitio excipiēdos, aut defendēdos esse. Idē faciūt & alijs principes, atq; in primis sollicite & accurate Fridericus Palatinus Elector ad Rhenū, & Philippus Lādgrauius Hassig, Socer uterq;. Palatinus & de euentu uaticinatur, ni pareat, præſagiens id, quod accidit. Et electorem Saxonie Augustū cū Duce Ioanne Guilelmo hac etiā de causa Lipsiæ cōuenit,

GOTHICO

uenit, ut si offensum à genero reperiat, placet.
 Venerat autē in Thuringiā Palatinus, ut com-
 positis dissidijs, quæ inter fratres Grūbachius
 alterius odio accenderat, & multos annos alue-
 rat, sublataq; diffidentia, quæ nata ex minis Io-
 annis Friderici, & clā structis insidijs, fraternam
 benevolentia ualde langufecerat, cōfirmata de-
 niq; partitione hæreditatis, quā diu Grumba-
 chiana factio presso altero impediuera, & nu-
 per uix ægre Ioānes Guilelmus obtinuerat, fra-
 tres generos inter se reconciliaret.

Hæc dum hoc modo geruntur, appetit tem-
 pus primorū Comitiorū Maximiliani Impera-
 toris. In his re in omniē partē accurate pensitata
 cunctis suffragijs renouatur sententia proscrip-
 tionis, extensaq; in Receptatores & auxiliato-
 res, ad pœnā parē cōdemnatos, solenniter pu-
 blicatur, proclamante eam Heroldo Imperij ex
 præscripto, post datū tubis signū & tympanis.
 Duci Electori uero Saxonie Augusto deman-
 datur ab Imperatore ac caeteris Ordinibus de-
 creta in proscriptos & Receptatores, ni pareāt,
 execuſio, & imperantura auxilia quatuor Germa-
 niæ prouincijs, Turingiæ uicinioribus, Vtriq;
 Saxonie, superiori & inferiori, Francie Orien-
 tali & Vestualiæ. Fit & decretū ut missa lega-
 tione iubetur Ioānes Fridericus tradere pro-

DE BELLO

scriptos & manus Imperatoris aut uinctos, ubi
ille uelit, sistere. Id nisi faciat in pari eum tanque
Receptatorē cū ipsis culpa & condemnatione
indubitatō futurū. Idque denunciari ei palā ac di-
sertē proscriptionis formula, quae ex decreto
Imperi antea promulgata fuit, contra proscri-
ptos, & eorum Receptatores.

Priusque ex Comitiis domum reddit Dux Elec-
tor Saxoniae, cōprehēditur nō procul à Dres-
da ob furtū quidam natus prope Friburgā Mys-
tice Ioānes Bœm. Hic Dresdā adductus ex se se
sponte, non interrogatus, enunciat, conductū
se esse à Grumbachio, ut Electorē incautius ac
fere sine satellitio uagantē in syluis, aut feras inse-
ctantē, globo traiiciat, & ad eā cædē se sclopeto
instructū esse. Idē post tormentis examinatus
repetit. Capitur & aliis grassator insignis, Er-
phordiensiu hostis, Philippus Plass, qui inter
alia confitetur, sibi quoque à Grumbachio, si insi-
dias, quae parentur Electori, adiuuare uelit,
præmia proposita esse. Sed assentiri se noluisse.
Nec dissimilia his testimonia alia deferuntur ad
Electorem ab inclytis & Nobilibus uiris, Gū-
tero Comite Schuartzburgico & Christo-
phoro Zebicio, ex ore Grumbachii excepta. De
his Elector Saxoniae edocet patuelē Ioannem
Fridericū, amanter eū cōmonefaciēs, & propin-
quæ

GOTHICO

quæ necessitudinibꝫ & pactorū, conuentorūqꝫ iureiurando non semel firmatorū, quibus exp̄esse cauetur, ne refugia aut receptus ullus prebeat, aut ferat auxilia alterius hostibus, inimicis, obtrectatoribus, publicis grassatoribꝫ trans fugis: Se hortari eū, ne retineat secū quos ex indicijs cætetorū hominū didicerit, & suæ uitæ, & suorum subditorū, aliorūqꝫ qui commerciorū causa regiones suas adire ac frequentare consueuissent, fortunis & facultatibus insidiari. Ioannes Fridericus è diuerso, & Legatis ab Imperio missis coram ac scripto, & Electori Saxonie litteris insolentius in eam sententiam respondet, ut de authoritate Imperatoris & Senatus Consulto publico detrahendo iteratam proscriptiō nem nō obscurèdamnet, tanqꝫ in sui odiū & oppressionē paucorū suorum inimicorū artibus extortam, & Grumbachiū atqꝫ complices audacter excusando collaudandoqꝫ, & ab omnī culpa uindicādo, suosqꝫ fideles consiliarios uocando, Imperatorem inconstantiæ arguat, tanquā contraria ijs decernentem, quibus sibi per se & alios antea patestatem fecerit Grumbachianos retinendi: Electorem uero Saxonie non obscure amplius aut ambigue, sed ex proposito, disertè & acerbè notet, & falso atqꝫ iniquè traducat. Intexuntur scripto Grumbachianæ Epistolæ,

D E B E L L O

Objectum de conductis & emissis siccarijs crimē diluentes, excusatione prorsus inter se discrepā te. Quod enim initio inficiatur impudenter, & deriuat à se in alios, id ad extremū ita cōfitetur, priora prodens : ut nīl Elector desinat oppugnare ipsum, non defuturos minitetur, qui eū quoquo modo tollant. Etsi autem Ioannes Fridericus similate tandem præ se fert, se proscriptos dimissurū, perseverat tamē in proposito, ac pertinaciter illis retentis, nihil nō conari pergit & moliri, confirmatus magis de ijs quas Grumbachius ostenderat spebus, belli Turcici apparatibus, & secutis deinceps cladibus ex Sigetti & Iuliæ expugnatione, Quo nūcio nihil illis lætius, nihil optabilius accidit. Eam tam obstinatā pertinaciā Ducis Ioannis Friderici & Grumbachianorū molitiones tam pernicioſas, propinquū Principes in bellū certū erupturas, & Principi exitiū allaturas esse cernerēt, redeūt ad priora consilia, instant & urgent apud Ioannē Fridericū monēdo & obtestādo ut sententiæ Imperij pareat, nec sua sibi peruvacia temere periculum creet & attrahat, quod sit multo maius sua opinione futurum. Non mouetur his Ioannes Fridericus, sed bellū manifestius moliri, comparare ad urbem muniendā necessaria, sollicitare ad coniurationis societatem Principes alios,

alios, & auxilia querere incipit, missisq; legato Schuinfurtum, quod in Francia oppidum est Imperij liberum Octobri Mense, Nobilitatem Francicam, quę conuenerat diliberatura de superpetuis ferendis Imperatori aduersus Turcas: Hanc ergo instigat, ut se duce Grumbachianæ causæ atq; coniurationis defensionē suscipiant, & cōmunis belli socii sint. Ea res & Imperatore superbo atq; contumelioso responso prius exacerbatum gratius irritauit, & propinquis Principibus metum ac solicitudinem auxit. Nulli ergo operæ, nullis sumptibus parcunt Elector Palatinus ad Rhenum, & Landgrauius Hassig, cumq; his Guilelmus Iuliacensis auunculus. Iterum per legatos Duci Ioanni Friderico inculcant, & obedientiam Imperatori debitā, & pericula in ipsum redundatura si non obtemperet. Offerunt se arbitros earū controversiarū, quæ Electori Saxoniæ & Ioanni Friderico intercesserant. Elector Saxoniæ respondet, nihil sibi pace gratius esse, nihil se quicq; armis ciuilibus peius abominari ac detestari, idq; se non obscure ostendisse ac docuisse hactenus demonstrat exemplis innumeris, patientiæ penè nimiæ. Id circa, ne nunc quidem sese suo loco paci publicæ & concordiæ inter se & agnatum patruelē defuturum. Posse se arbitros illos ac disceptato-

D E B E L L O

res ferre priuatarum controuersiarum & iniuriarum, quibus sit affectus multiplicibus à Ioāne Friderico, salua tamē sua dignitate. Causam uero proscriptio[n]is non suam esse priuatā, sed imperij publicam. Alter & tractaciones & cōditiones omnes insolenter recusat. Imperator autem & quō tendant, & quorū euasuræ sint hæ Ioannis Friderici ac proscriptorum machinationes, ni mature reprimantur, prospiciens, nec cunctandū ratus, manifeste iam inclinatis animis multorum ex ordine Equestri ad seditionem, & res nouas ac motus nouos pene palā spirantibus, Electorem Saxonie mandatī dum ab Imperio accepti admonere, & impellere atq[ue] urgere non desinit, ut obsidionem Gottæ acceleret, festinatione & occultatione tāta, quāta omnino fieri possit. Ostendit quātū in morā periculi sit futurū, si coactis, quæ concitare atq[ue] excire non desinant auxilijs, armati suas experiri molitiones incipient. Destinat Electori Saxoniæ legatos seu Commissarios, Comitē Otē nem Ebersteiniū; Fabianum Schoneichium & Christophorum Carolo vvitium, equites auratos, quorū consilio & authoritate Elector uteretur. Hoc publici magis quā priuati peticuli respectu Elector Saxoniæ permotus, quanq[ue] abhorreret ab hoc bello propter patriam,

am, propter cognati sanguinis iura, propter familiæ nomen, & alias causas. Quod tamen detrectare authoritatem Imperij non liceret, serio in deliberationem de concludendis intra Vrbē & obsidēndis cum Receptatore suo proscriptis incubit. Ac rem omnem celeri arcanoꝝ consilio adeum modum instituit, media & aspera hyeme, ut ante Vrbem proscripti prius armatas acies conspexerint, & bellicorum tormentorum exaudierint fragores, quām hostiles apparatus somniarint, securi nimis Imperatoris Vngarico bello distentī occupationibus, & contemptu non Electoris tantūm Saxonig, sed & universi Imperij Romani. Hac celeritate obſessis facultas tuto elabēdi, colligiendiꝝ auxilia idonea ac fufficentia, & alios concitandi, adempta fuit. Primæ in conspectum Vrbis equitum turmæ peditumꝝ Cohortes educuntur. Pridie Natalis Domini, præmittitur ab Imperatore quidē per Caduceatorē denunciatio, qua subditi absoluti à iuramento Ioanni Friderico præstito, iubentur illo deserto agnoscere & sequi Ioannem Guilelmum. Ab electore uero Saxoniæ, tanꝝ designato belli Duce, cautio demandati officii rationem, & parendi necessitatē in iusta ac legitima causa exponens. Sed quōd ad huc pauciores numero essēt equites & milites,

DE B E L L O

quām intercludendis itineribus undiqꝫ, com-
meatuiꝫ interuertēdo, & auxiliarib. copiis ar-
cendis satis essent: factum est, ut obſelli ex uici-
nis oppidis delectorum ciuium multitudinem
mediocrem, sed magna ex parte imbellē, intra
Vrbem compulerint: ex direptis pagis uero
non exigua in rerum fruendarū copiam in arcē
importarint. Crescente paulatim ad Urbem
exercitu, ex concursu militum & accessionibus
sociorum auxiliorum cum bellum minimē ex
ſententia Ducis absentis administraretur,
nec quicquam tantis dignum copiis gereretur,
pleriqꝫ in rāpias magis ac p̄dām quām ob-
ſidionem intentis, ipſe eo proficitur Elector
Saxonie, decima quarta ab obſidione die. Et
quod bellileges postulant, cum patruele Duce
Ioanne Guilelmo, dispositis in ordinem acieī
forma, ac circunductis propinquō interuallo
copiis uniuersis, ditionem fieri flagitat, qua
denegata non multorum dierum ſpatio, mira
arte ac festinatione, distributis operis, nocte
dieqꝫ instans & urgens, omnem circumcirca
Urbem & arcem fossis, aggeribus, & castellis
circundat fossis atqꝫ aggeribus tam propē ad
Urbem perductis, militeqꝫ completis, ut occa-
ſio eſſet & facultas militi utriqꝫ obſidenti & ob-
ſello inter ſe colloquendi. Nec impediri hæ ope-
ra

G O T H I C O

ræ ullis quantumuis insolitis displosorum as-
fiduè magno numero immanium tormentorū
fragoribus , emissorumq; globorum ceu pro-
cellis poterant. Dum hæc opera ad Vibem
parantur, à nocturnis excubiis deiiciuntur in-
ternuncii ex arce emissi cū literis & auro signa-
to ad Ernestum Mandeslouiū. Aureorū erant
quater mille pondere Rhenanis leuiores, auro
pares notati insignibus Electoralibus decussa-
tim secantiū sese binorū gladiorū, & inscriptio-
ne uendicante dignitatem Electoralem Ioanni,
Friderico à natalibus. Literæ characterib. ex-
aratae erant inusitatis. Hi agniti & arcanae obſef-
forum machinationes & magistros equitum,
milituniq; tribunos , socios atque complices
coniurationis omnes patefaciunt, quorū multi
sui purgandi causa ad Electorem Saxonie &
legatos Imperatoris literas scribunt. Nonnulli
in castra deinceps ueniunt, aliqui male sibi cō-
scii fuga salutem querunt. Paulo pòst diuersis,
dignisq; fide indicibus planè cognoscitur, Re-
ceptatori & proscriptis constitutū fuisse sub ini-
tium veris equitum cogere millia octo, pedi-
tum legiones quatuor, duabus diuersis in par-
tibus Germaniae, in Vestualia ad Rhenū usq;
& in Marchia ac finitima huic Pomerania.
Vestualicis id negotiū datū esse, ut per Episco-

D E B E L L O

porum ditiones ad Rhenum, impetu in Franconiam facto in hac quæ Antistitum sint, ac deinceps in Thuringia quæ Electoris Saxonie sint, ut subigeretur ac depopularetur, Vrbes Mulhusum, Northusum & Erphordiam grandi pecunia ut multarent: Erphordienses omnibus extra urbem fundis, prædiis, pagis & opidis ut exuerent: Marchicis uero & Pomeranis, ut opprello Electore Saxonie, occupataq; ac direpta pallim ditione, munitiores urbes, seu cui seu ditione caperetur. His perfectis crearetur Princeps Ioannes Fridericus ad Vitebergā Elector Saxonie, et ubi coiſent exercitus ambo, idem salutaretur exemplo Romano ueteri ab uniuerso milite Romanus Imperator: Redigentur in ordinem principes cæteri: tolleretur seſe submittere recusantes: Equeſtris ordo subtractus Imperio principū, adſereretur in libertatem, & ſoli ſubiceretur Imperatori: Noua inſtitueretur forma Imperii. Comprobarūt hæc deinceps archiuia à ditione in arce reperta, & indicij atq; confessionibus Principis Ioannis Friderici, Grubachij, & ceterorū patesfacta cōſilia. In literis uero interceptis hæc uerba inerant: Imperatore Maximilianū publicatione renouata procriptionis uiolasse fidē ac religione iuris iurandi,

G O T H I C O

iurādi atq; hoc periurio semetipsū exutū Maie-
state Imperatoria de fastigio Imperij deiecisse.

Fuit omnino coniuratio hæc in eū modū in-
structa, ut longè perniciösior Imperio Roma-
no quā Catilinaria olim Vrbī Romæ fuerit
futura si erupisset. Ac planè dubiū non est, non
in dustria humana patefactam, nec ulla humana
potentia repressā, sed diuinitus elisā esse. Præ-
stat autē sopriseditiosas atq; cruentas molitio-
nes quā euulgari. Præsertim cū arcanorū cōsilio
rū cōscī fuerint nō nisi antesignani, qui ad silen-
tiū & occultationē peculiari sese iuramento ob-
strinxerāt. In hāc cōspirationē ita cōsensit Dux
Ioānes Fridericus, ut de suo stipēdia Ducib. de-
creuerit, & uictoribus, si rē perficerēt, 'præmia
proposuerit, ex præda parta & occupatis ter-
ris, liberalissima. Constitutū fuit inter eos biē-
nio antē de innouāda insigniū Electoraliū for-
ma, deq; typis peculiaribus monetæ imprimē-
dis, cū arrogātis, minimeq; decentis tituli, vbi
ad arma deuentū esset, inscriptione. Compara-
ta iam & instructa fuerunt præla ad excuden-
da publicæ fidei diplomata, quibus caueretur
salutē eorū, quos seruatos cuperent. De colligē-
dis belli neruis rationes initæ : petita mutuo à
quibusdā Germaniæ principibus ingens pecu-
niae uis : foedus cum Rege Sueciæ nō solū expe-

DE BELLO

titū & tentatū est, sed & missis hinc inde legatis, initū contractumq; fuisset, nisi interceptus quidā in mari consilia omnia aperuisset. Quas minas, quæ opprobria in cognatos principes, & machinationes quā hostiles aduersus eos dē, mandata illa continuerint, id instructionū, ut uocant, formulæ postea repertæ testari ferūtur. Nulla ibi Imperatoris, nulla cognati sanguinis, iuratorūq; pactorū ratio habita est. Est inter alios libellos repertus etiā qui continent bellī denunciationē directā ad imperij Ordines, multo antè compositā, & manu propria Ducis Ioannis Friderici plerisque in locis correctā & auſtā. Ita ut nihil illis ad classicū canendū euertēdāq; patriā defuerit, quā loculi auro referti, & prætex tus aliquis speciosus. Eum se se accepturos arbitrati sunt, si Elector Saxonie, quē uarjjs calūnij apud Nobilitatem sibi addictā deformarāt ac prægrauarant, decreto Imperij aut Cæsaris iussu, executionis faciendę causa, arma sumeret. Missæ sunt ad Regem Galliæ literæ, grauiſſimas aduersus Imperatore & status Imperij, ob publicatū proscriptionis decretū, querelas cōtingentes, & petita à Rege auxilia. Sed hoc maxime triste & deplorandum est, quod ad artes minimè conuenientes homini Christiano confuge re ueriti non sint. Per puerū enim rustici filiū,

uel

G O T H I C O

uel magicis præceptis imbutū, uel ab incantatoribus fascinatū, uel à Grumbachio ad eas imposturas assuefactum: per hunc ergo Princeps in conclave suum, & arcanissimam consuetudinem receptum, responsa ex angelis sciscitari, & de futuris quid euenturum esset, explorare est solitus. Nunc de successibus uictorijs cęp̄ ipsis Ducis: nunc de Cæsarī & Electorī Saxonīæ interitu: nec non de thesauris effodiendis, alijs cęp̄ id genus similibus euentibus. His cum à diuini uerbi præconibus uehemētius contradiceretur, grauia illis supplicia, ni tacerēt indicta sunt. Et suscepit magi patrocinium ipse Princeps tanto studio tantoq; feruore, ut Theologos hanc cōsulendi diabolum consuetudinē acriter reprehendentes, mordacibus & contumeliosis scriptis quæ extant, repelleret, nec ulla pia, rectaçp̄ & salutaria monita admitteret. Porrò miseræ plebeculæ, quæ ex oppido in Vrbē defensionis causa cōtracta erat, persuasum fuit ab ipso Duce Ioāne Friderico, concione ad populū habita, bellū Religionis extirpandæ causa, cōspiratio-ne Imperatoris, Electorī Saxonīæ, & Antisti-tū Germaniæ susceptū esse. Nā ad hāc magno silentio occultatū fuit, quid fieret & gereretur, & quæ causæ prætenderētur, quidue ab Imperatore atq; ijs, qui ad Vrbē cū exercitu erāt, postu-

D E B E L L O

laretur. Inuita igitur militabat, ignara operū & impatiens onerū militiæ, etsi à milite cōductio nonnihil animaretur, & paulatim bellicis operis assuefieret. Præterea crescebat in urbe difficultas omnium rerū. Fiscus principis exhaustus erat. Priuatis creptū erat quicquid reliquū fuerat pecuniæ numeratae. Deficiebant comeatus, nulla supererat uestibus materia, extenuabatur paulatim & euanescebat spes omnis auxiliij externi. Cætera onera augebantur. Diruebantur ciuiū domus, ut propugnaculis extruendis aut reficiēdis si cōcuterentur, materia suppeteret. Et fama percrebuerat cōsultari demilite idoneo intra arcē recipiēdo, deç̄ urbe incēdēda. Sed omni imbellē multitudine prius extrusa. Extra urbē autē absolutis aggeribus & castellis ad oppugnationē seriā instructa omnia oculis obuersabāt, que iā antè de salute sua anxiæ plebi terrorē augebāt, q̄ aduersus ictus bombardarū nō tegerentur amplius altitudine ualli, tota interiore urbe hostiū conspectui exposita, ppter ea castella que arte excitata aut tumulis imposita supra urbē eminebāt. Hæc ubi cōcurrerent & obsessi ex milite hoste inter quotidiana colloquia discrēt, bellū ppter pscriptos & rebellionē Recreatoris eorū Ducis Ioannis Friderici motū esse, quos cōcordibus sentētijs Imperij cōdemnatōs

GOTHICO

tos, atq; ad pœnam expetitos tueri ipsi atque
 defendere non desinerent, contra interdicta
 seuerissima legitimi magistratus cum discrimi-
 ne uitæ, fortunarum, existimationis suæ, imò
 cū iactura uitæ & salutis æternæ. Consiliū capi-
 unt, quo se & principē suū ex bello tam difficiili
 ac periculo so absq; insigni rerū suarū detrimen-
 to explicit. Coniungunt se ergo præcipui ex or-
 dine equestri, aulicis, senatu, militarib. copijs
 & plebe, ac rem ad principē literis supplicibus
 deferunt (ad colloquiū enim nō admittebātur,
 arcentibus eos Grumbachianis.) Orant ne se
 ipsum & subditos proscriptorū causa perdat,
 sed cōmuni cū ipsis deliberatione se quomodo
 seruet ac liberet, constituat. Cum non tantū
 non obtineret quicq;, sed acciperetur minaci-
 ter, nec minas has irritas fore animaduerterent,
 si in proposito persisteret: cōmuni fama nōnul-
 lis ex ijs qui præcipui erat iam suppicio capitis
 destinatis, id agunt, ut de ijsdem resciscat miles
 præsidiarius, cui intra arcis claustra uelut carce-
 ribus concluso excubiarū ac defensionis causa,
 alioqui egredi inde & cōsilia cū oppidano præsi-
 dio cōmunicare nō licebat. Auget ciuiū & rusti
 corū in urbē coactorū indignationē casus q; præ-
 cessit pridie Paschatos. Præcipuuſ .n. capitane-
 us ciuiū, idemq; ciuis, ob fortitudinē & rei mili-

D E B E L L O

taris usum omnibus carus Ioānes Hoffman, nō
ex urbe, sed arce (cōtra militū inter se pacta quæ
erant ut arcē præsidia istuc collocata, urbē uero
ciues defenderent) ad oppugnandū hostiū ca-
stellum proximū, erumpere cogitur. Vbi pu-
gnans fortiter, cum aliquot gregarijs militibus
interficitur. Quòd ergo seruari potuisset, si auxi-
lia uti conuenerat inter eos submissa fuissent, in-
cipit in urbe de tribuni militū Brandestenij per
fidia, populus grauiter queri, quòd nō tantū ho-
nestū fortēç ciuē præsenti periculo obiecisset,
sed & uiriliter dimicantem turpiter deseruisset.
Exoritur ergo fremitus & indignatio in urbe,
cuius cum præsidiarius miles è claustris in areā
arcis quarta die Aprilis eductus, ad sacramen-
tum militiæ de nouo præstandū nō ignarus es-
set, iurare recusat: uel quòd desperaret de defen-
sione arcis, uel quòd amplius militare nollet cau-
sam improbans, & quòd pertæsus esset late-
brarū, squaloris & egestatis, quā pertulerat.
Stipendia enim nulla nisi unius mēssis & uictū
tenuem ac sordidū per id tēpus acceperat. Vr-
gente præfecto Hieronymo Brandensteinio &
nil proficiente, nec obtestationibus nec minis,
accurrit princeps ipse. Sed & eo nihilo plus cōci-
tato militi persuadente, ex iudiciorū hic clamor
in urbe: sit mox cōcursus ad arcam: portæ ui re-
cluduntur:

G O T H I C O

cludū tur: coniungit se miles cū oppidano præ
 fidio. Comprehenditur tribunus militū Bran-
 dēsteinius: proscripti deposuntur: qui cū me-
 tu sese abdidissent, inquiruntur per arcē reser-
 atis conclauibus: inuenti capiuntur: uincti abri-
 piuntur in urbē, atq; in curiā deducūtur, ubi di-
 uersis in locis custodiuntur. Comprehēsi sunt
 hi: caput factiose cōiurationis & proscriptorū
 princeps ipse Guilelmus Grūbachius cū socio
 Guilelmo Steinio. Doctor Christianus Bruck
 cancellarius. Brandēsteinius de quo dixi, & Io-
 annes Beierus, qui sub Electore Saxonie quæ-
 stor præfecturæ Montanæ in Schellēberg, cū
 soluendo nō esset, deserta ac prodita fide erga
 dominum, ad hostē transfugerat, & consiliade
 opprimendo & excutiēdo Electore adiuuerat.
 Zebicius uero cū nonnullis alijs ea uespera elā-
 plus, postridie summo manè per portā arcis e-
 mittitur, ubi deceptis excubīs fossā, quā angu-
 stissima erat, concitato equo transiliens euadit.
 Is est autē Zebicius, qui suo se sclopeto Zobe-
 lum Antistitē Vurcebūrgēsem traiecliffe pro-
 fiteri fuit ausus cum pichtio Luneburgico. In
 urbe quid actū sit, mox una cōmuni Epistola
 significatur Electori Saxonie Augusto, Duci
 Ioanni Guilelmo, & legatis Imperatoris à no-
 bilib, aulicis, centurionib, & senatu: petitur
 cōsiderationem.

D E B E L L O

de consensu Ducis Ioānis Friderici, ut dies dicat
sub fide publica tractationib. de pace, se para-
tos dedere proscriptos & urbē, si æquis condi-
tionibus pacē impetrēt. Adiūgit suas literas Io-
annes Fridericus nō inscriptas principib. sed le-
gatis Imperatoris. Nec idē agit, sed quasi sese &
suā causam seiungens inducias cōcedi postulat
dierū quatuordecim, quibus ad deliberationē
de suis rebus & pacis conditionib. accersat prin-
cipes hos: Palatinū Fridericū Electorē, Guilel-
mū Iuliacēsem Duce: & Philippū Landgrauīū
Hassiae, q paulo antè è uiuis excesserat. Aberat
tūc ab exercitu Elector Saxoniæ, pfectus Cas-
sellas, ut cohonestaret deductionē funeris Lād-
grauij. Legati Imperatoris interea respōdent,
benē pollicētur, iubēt diligenter muniri capti-
uos usq; ad redditū Electoris Saxonie. Eo reuer-
so obsessi quod petūt impetrāt, Ioānes Frideri-
cus nō impetrat. Dicitur dies cōgressui, cōue-
niēt, proponūtur cōditiones, de quib. qui exie-
rant, referūt ad principē suū & cæteros. Reuer-
si h̄dē in castra, à principe nulla à cæteris māda-
ta adferūt, ut simul p principe intercedat a clā-
borent. Quo se suosq; negligēt ac destituent,
fastūne an alijs de causis, q inops esset consilij,
nihil obtinet. Tandē biduo ultrā citrāq; tracta-
tionibus his atq; cōsultationib. consumpto, in
hæc

hec cōsentit capita ab utrisq; cōscio Duce Ioāne Friderico, ut princeps sese, arcē & urbē cū appa ratu bellico uniuerso, commeatu, cancellaria, fi scō, dedat Imperatori sine ulla cōditione. Ut p scripti & horū socij atq; patroni, grassatores i tidē publici ac prædones, & præter hos uasalli, qui nō renūciata obligatione sua cōtra Electo rē militarū, tradant in manus Electoris. Ut mi litares homines omnes cuiuscūq; ordinis urbe cedant armati sine tympanis intra quatuor horarū spatiū, & uexilla cōuoluta tradāt: ut subdi ti ex omni ordine, & ciues in primis urbis Gotha næ, uitam, fortunas, iura, immunitates suas retineāt illæfas, ut portis patefactis intra urbem & arcē recipiat præsidiū, claves exhibeant Electo ri, captiui dimittāt sine lybris. Ciues Gothani p delectos octo ex toto numero fiant supplices Imperatori, uel ipsius loco Electori Saxoniæ. Vtrique ciues & milites iurent, se nullis unq; bellis contra Imperiū, Imperatorē & Electorē Saxoniæ motis, interfuturos: ut Duci Ioanni Guilelmo nouo sese homagio obstringāt, exclu so ab omni iure successionis fratre, & natis ex il lo filijs: his cōditionib, ut si cōtingat absq; hære de masculo Ioānē Guilelmū decedere, succedat Elector Saxonij, atq; huius filij: si et hi, deuoluāt successio in Lādgrauios Hassiæ. Literis de his ca

D E B E L L O

pitibus cōfectis & obsignatis ultrò citroq; Elec-
tor Saxoniæ Augustus comitātib. Ducib. Io-
anne Guilelmo Saxoniæ, & Adolpho Holsato
ipse inter utrūq; medius Vrbē primū, dein de
arcē ingredit̄, præcedēte maxima equitatus par-
te, & ante ipsū proximè magno numero comitū
Factū id est die decimatertia Aprilis, hora circi-
ter sexta uespertina. Incidit illa dies in Domini-
cā Misericordias Domini, hoc ex Ecclesiastico
calēdario nomine notā. Qua ante annos uiginti
à Carolo V. Imperatore pater Ioānes Frideri-
cus senior acie uictus & captus est, penè eadem
hora. Discrepātib. tamē dieb. mensis politici, cū
ante uiginti annos eadē Dominica in uicesimā
quartā Aprilis inciderit: sed decima tertia Apri-
lis quæ Antistiti Vuurceburgēsi Zobelo frau-
de Grübachi perēpto, uitā . Eadē admirādo iu-
stitiæ ac uindictæ diuine testimonio ipsi Grüb-
chio tūc primū redacto in hostiū potestatē, an-
nis octo post spē uitę eripuit. Principi Ioāni Fri-
derico custodiæ ponunt̄: postridie tradit ipse se
in manus & potestatē Imperatoris, deditio ne le-
gatis facta, Otoni comiti in Eberstein: Fabiano
Schoneichio & Christophoro Carolouitio ex
ordine equestri, uiris nobilib. & equitib. auratis
petēs ne abducaſ in Austrīā, sed relinquaſ apud
Electorē Saxonīg. Tertio à deditio ne die abdu-
citur

G O T H I C O

citur captiuus; pscripti & captiui tormentis sub-
ſciunt decima sexta Aprilis die, digressa inde cō-
luge Ioānis Friderici permisu principū cum su-
pelle stile copiosa, sicut iudicia de captiuis; pnu-
niciā de capitib. eorū ex singulorū cōfessione &
archiuis repertis: die decima octaua suppliciū
de ijsdē sumit: pari cū Grūbachio supplicio af-
ficiit cancellarius, dissectione corporis in partes
quatuor, ob læse Maiestatis crimen cōmissū in
eo q̄ obiecit & intentauit Imperatori falsò per-
iuriū: elicit atq; piecit cōtumeliosè sententiā p-
scriptionis: comprobauit & excusauit ausus fa-
ctionis Grūbachianæ, adiuuit cōsultationes de
perturbāda seditionis motib. Germania, abrogā-
do Cæsari Imperio, principib. nobilitati exæ-
quandis: acerbè & ignominiosè exagitauit uoce
& scriptis Imperatorē, Duces Saxoniae, Electo-
rē & Ioannem Guilelmū dominos suos: reticu-
it & adiuuit insidias ac molitiones, quæ Electori
& Ioāni Guilelmo stricte fuerūt, cōtra fidelita-
tis iuramenti utriq; præstitū. Grūbachij & Stei-
nij crimina commemorata sunt: sed q̄ Steinum
Grūbachius excusaret, tanq; à se seductū, mitius
ille punīt. capite enim truncat, postea truncus
quadrifariam scindit. Beierus suspendit. Capite
truncat & Brādēsteinius arcis præfectus, qui nō
tantū sciens uolensq; proscriptis sese cōtra Cæ-

A 970257
D E B E L L O

sareæ Maiestatis interdicta sociū adiūxerat: sed & in diripiēda urbe Vuurceburgensi opē illis gnauiter præstiterat, ciuesq; in urbe Gotha ita adlixerat, ut gladijs illū suis interfecturi fuerint, nisi iustū de eo suppliciū magistratus sūp̄sisset. Plectit & capite Dauid Bōgartnerus liber Baro Sueviæ, Augusta oriūdus. Qui ppter eis alienū patria pfugus, Grūbachianæ se factioni adiūxit, & ad seditiosa consilia, quæ de nobilitate in libertatē uindicāda, unicq; Imperatori afferenda, principib. excusis, Grūbachius cuderat ac descripserat, ministrū se præbuit. Cuius instituti formula nomine Bōgartneri circūfert. Euadere hic potuisset, si lacero squalidoq; habitu inter gregarios milites cū egrederet, latere, quā in fero ciente & superbo equo plumatus cōspici maluisset. His indicij enim sciscitante Electore Saxoniæ agnitus regredi, & machinula equestri bene pulsatus defici ex equo ac uinciri iubet. Laqueo punit & puer magus. His peractis diuidunt machinæ bellicæ centum sexaginta. Nouē insigniores Elector Saxoniæ sibi uēdicat: reliquas cū Duce Ioāne Guilelmo ex æquo partit: octo grandiores machinæ Cæsari dono mittūt. Exercitus omnis dimittit munitio diruitur ac solo æqua: Dux Ioānes Fridericus captiuus Viennam ducitur.